


DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Martis septimâ mensis Aprilis, anno Domini M. DCC. LXVII.

M. LUDOVICO-JOANNE-BAPTISTA COSNIER,
Doctore Medico, Præside.

An illud apprime ad sanitatem utile ut ne quid nimis? *

* Terent. Andr. Sc I. Act. I.

I.



MEDIOCRITATEM, rectè cecinit auream, Romanæ fidicen Lyræ. Hanc si sacra profanis immiscere licet, oneri divitiarum molesto longè anteponendam, edixit divinæ sapientiæ oraculum. Nec ergo cum Cynicis obsoleti sordes tecti affectabis; nec luxui inhians insanis aciem fulgoribus obstupescere & perstringi sines. Quem morum scientia beatum prædicat, hunc Physice sanum atque vegetum fore promittit: utrumque si quæris, nosce quæsitis uti sapienter, disce mentem rebus in arduis æquam servare, ab insolenti temperatam lætitiâ; & si quæ dedit, ludum crudelem ludere pertinax fortuna, ad alios transfert, placidus resigna;

nec minus rebus accisis quàm integris fruere. Labores à naturâ impositi, dulcis otii intervallis temperandi. Nec cibus nisi fame suadente sumendus, nec nisi emptus labore. Uno verbo cùm virtus sit medium vitiorum utrinquè reductum, ab eâ ne latum unguem recedere annitendum est. Sic ex ipso mortalium diversis erroribus palantium exemplo, vir cordatus, certa suæ felicitatis fundamenta stabilire doctus, mentem sanam in corpore sano sibi vindicat.

I I.

QUOD rusticus abnormis sapiens & crassâ eruditus Minervâ tibi prædicabit, doctius demonstrabit Physice. Quid enim per eam in rebus non naturalibus quam ab homine requirimus moderationem, intelligimus? Nihil aliud, præter libratam atquè concinnatam ad corporis facultates, externorum agentium actionem, ita ut in illâ nihil non proportionale sit corpori. Hinc licet eadem præcepta omnes comprehendant, æque neglecta omnibus noceant, non eadem mensura competit pueris, mulieribus languidulis, & duro fractis labore militum artubus. Ex hac observatione pendent æterna illa axiomata quæ se primum posuisse gloriatur Hippocrates, dum ait cibos semper ad labores proportione respondere debere, &c. ut impensa expensæ. Ita tenuior materia debilioribus aptabitur, valida alimenta robustis offerentur. Simul indè patet quantùm in se ipsos peccent qui gulæ obsequiosi, hesternis crapulis semper hodiernam dubiæ mensæ ingluviem agglomerant, & humi affigunt divinæ auræ particulam. Ne tamen te sapientem credas si, Verulamio Duce, cruciatum famis aut sitim, quasi corpora indurantes, nimium patienter, ne dicam stultè tuleris. Pejora sunt dictante Hippocrate, confirmante Sanctorio, inediæ quam paulò plenioris diætæ pericula. Prostrantur vires abstinentiâ, mens hebescit, liquorumque acrimonia brevi abit in pessimam vixque restituendam putredinem. Usquè adeo nimis sapere periculosum!

I I I.

INCUMBIT homini Atmosphæra. Hanc spiritu haurimus, hanc deglutitione sorbemus. Quot & quanta ab hoc fonte incumbant mala si pondere vel elaterio aer peccaverit, simplicior docebit Physice. Sensus ipse vel indoctior quoties excessu peccat aer, vernam requirit cœli indulgentiam, & votis exposcit ardentibus moderatam solis actionem, seu sitientes agros exurat

Syrius, ſive acre gelu tellurem adſtrixerit. Quot ab utroque exceſſu mala naſcantur noviſſe ſi velis, contemplare jacentes ſub curru nimium propinqui ſolis Afros aut Arabas. Quot peſtes ibi naſcuntur, quæ dira inde per contagia ſæpè per univerſum orbem profunduntur. Ibi impotentia ad labores, ævi brevitas, morborum putrida caterva. Intereà ſqualentes agros viperarum aut inſectorum genera mille dehoneſtant, unde tot deſertæ regiones ad meridiem ſinè honore jacent. Nec frigoris ſævities minor. Lapponum & Borealium Homuncionum triſte genus in egeſtate, rigenteque inediâ, ad ſcientias & munia publica inhabile elangueſcit, & elangueſcet in æternum cum vix vitæ ferinæ ſufficiat. Ex hac inamœnâ locorum inhoſpitalium ſentinâ ſi te ad temperatas Europæ aut Aſiæ regiones contuleris, harum mirabere felicitatem, civium ingenia, mores, legum obſervantiam, proventuum ubertatem, ſegetum felicitatem, pecorum nitorem, omniaque ad moderationis laudem optimè comparata. Quid & morbi ipſi quandoquidem urget ubiquè mortales fatum ineluctabile εὐϛαθεὶς, εὐηθεὲς melius ad ſanitatem & criſim vertuntur. Ex epidemicis conſtitutionibus vernales etiam leniùs deſæviunt & curantur faciliùs, teſtibus Hippocrate, Ballonio, Sydenhamo, Ramazzino, Huxhamo.

I V.

SI verò ab iis quæ in hominem ab externis invehuntur, ad ea quæ naſcuntur intus referamur; jam nihil acriùs hominem conturbat, ejuſque ſanitatem plus funditus proterit, quam illi tumultus qui ab impotente animâ exorti, in corpus ferali commercio refunduntur. Animi motus vivaciores ut ira brevis furor ille quibus exardeſcit atro felle machina, aliquando ſubitò trucidavere. Lenti, tardo conficiunt cruciatu. Aſpice Achillis in Agammemnona furentis truces oculos, ſanguineam volventes aciem, cædem atque incendia ſpirantes, & ad intimam uſque oſſium medullam robur ferinum infundentes. Mox idem Patroclum lugens, oculis ad terram demiſſis, genis pendulis, nec jam juventæ virilis flore nitentibus oculis, rumpit ilia ſuſpiriis, quibus vix per pulmones tranſmittendus ſanguis in tardo motu incitetur. In utramque partem miſer ſeu nimis laxo, ſeu nimis contento fune laboret. Prior ſtatus imaginem Phrenetici exhibet, alter Cataleptici; in quæ mala animi motus ſæpè tranſeunt. Quid juvenis cui durum verſat ignem in oſſibus, durus amor? Decedunt vires, deſeruntur officia, mens hebet, vacillat lingua, cor-

pus contabescit. Nec minori angunt discrimine malèsuadus livor; ambitio misera, sordida auri fames, omnia quæ dum hominem à rationis recto tramite deturbant, sanitatem simul pessumdant. Usque adeo operæ pretium est animum fortiter vinclis atquè catenâ compescere, qui nisi paret, imperat. Tantæ molis erat moderatricem condere Philosophiam! inquâ tamen, acrius aliquandò studium nocturnis vigiliis, inquietâque sollicitudine corpus pessumdedit, ita ut Celso teste sub iisdem authoribus nasci debuerint & Philosophia animorum & medicina corporum medicatrices.

V.

HOMO sanus & qui suæ spontis est nullis obligare se legibus debet, Celso authore. Nec ergo, inquies, debet ad excessum quemvis pallere. Et turpe est homini civi & ad publica munia nato cuticulam curare, auras exspiscari, cibos viles spernere, somnos metiri & de se ita esse sollicitum ut cætera sordeant, *& propter vitam vivendi perdere causas.*

Assentiemur illicò, & cum Platone artis illius quæ hanc diligentiam docet præceptores exules esse præcipiemus. Quidni! peccat excessu formidinis cæcæ qui talia capescit, & nunquam sanitate certâ fruetur, qui varietatis fructus non sentiet. Sed & Celsi consilium & varietas ipsa victûs, si non certis circumscribantur limitibus, periculosa sunt, notante & experimentis comprobante Sanctorio, si dùm vitas vitia, curris in contraria, si pastillos Rufilli, Hirco Gorgonii mutandos credas. Demùm si omnia quæ te circumstant meditabunda lustres observatione, ex abusu miserrima mala, ex usu robur & sanitatem nasci debere certò deprehendes, concludes ergo nihil tutum esse præter moderationem, nihil sibi fortunam in rebus hominum vindicare si facem præferat sapientia quæ doceat rebus prudenter uti.

Ergò illud apprimè ad sanitatem est utile ne quid nimis.

Proponebat Parisiis DOMINICUS JOANNES-BAPTISTA DE LA BICHE, Parisinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Auctor A. R. S. H. 1767. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.